

Das Epicedion für Tilemann Schnabel

Epicedion reverendo viro sacrosanctae Theologiae
Doctori Thilomanno Schnabelio, Pastori & Superin-
tendenti Alsfeldiano scriptum a Justo Vietore
Hombergiacoeno, Ecclesiae Alsfeldensis Ministro.

- 1 Si iuvat haud raro pictas spectare tabellas,
Quarum conspectus nil bonitatis habet,
Turpia quae monstrant Cythereae membra puellae
Aut Dodonaei furta dolosque Iovis —
5 Cur pigeat paucis haec pauca requirere versu,
Quae de sarcophago hoc parva tabella refert?
Siste pedem! Multo cum fructu, Lector, habebis,
Quod seu laeta velis, tristia sive, legas.
Non etenim Sículus miles, nec Caricus hircus,
10 Sed miles Christi est, quem lapis iste tegit:
Thilmannus Schnabel, virtutum divite cultu
Florens, ac vindex in pietate gravis.
Cui similem nullum conspexit patria nostra,
Patria sub sceptris, Magne Philippe, tuis.
15 Nam quamvis esset Doctoris nomine notus,
Quod dat theiophilis pagina sacra viris,
Hos inter fratres, olim qui tempore Papae
Augustine tibi vota dedere sua,
Ac perlustrasset Romae delubra deorum,
20 Quasque tenet sacras Itala terra domos,
Attamen est monachis ausus valedicere primum,
Somnia condemnans impia Pontificis,
E tenebris summi quando praecepta Tonantis
Eruta sunt studio, sancte Luthere, tuo.
25 Nec detrectavit coram vel principe saevo
Dicere: „Romanus, bestia foeda, Baal“,
Principe, qui nondum libros perlegerat illos,
Dogmata qui Christi vera fidemque docent.
Petrinam sedem sed adhuc & vincla timebat,
30 Vincula Romani non metuenda Iovis.
Quin, iustus patriae sedem mutavit amore
Verbi, nil vitae magna pericla timens.
„Exilium non est“, inquit, „quod propter amorem
Verbi quis patriae deserit arva sua.
35 Sed si quis Christum linquit, vel denegat ipsum,
Pressaque Tartareo pondere colla gerit.
Namque huic aeternae patriae stat ianua clausa,
Et tetri Satanae regia nigra patet.
Ille sed intrepido qui Christum praedicat ore,
40 Hic & ubique Dei signa stupenda videt“.
Nec mora, nec requies, Vitebergam tendit ad urbem,
Acceptus frater, sancte Luthere, tibi.
Cuius consilio Leusneck praefectus ovili,
Exiguo Christi tempore pavit oves.
45 Mox ut enim coepit Romani vincla Philippus,
Cattorum princeps, rumpere Pontificis,
Illinc Alsfeldam rediit revocatus, ut olim
Romanis rediit Tullius atque suis.
Quapropter populus sustollens iubila plausu,
50 Gratatur reduci terque quaterque suo.
Sed tu, Papa, doles, gemituque e pectore ducis,
Ac das tristitiae plurima signa tuae.
Quamprimum siquidem rostrum defigere coepit
Schnabelius, regnum corrui omne tuum.
55 „Extemplo e templis idola recedite“, clamat,
„Christo, non chryso convenit iste locus.

Tuque superstitio, quae ludis imagine falsa,
 Aufuge cum votis ritibus atque tuis.
 Sola fides siquidem verbo concepta beatos
 60 Nos reddit, meritis non honor ille datur".
 Ora tenent homines mirantes verba loquentis,
 Sedibus aetherae verba profecta domus.
 Mox post electus columen conscendit honoris,
 Quo non maius habent munia sacra Dei.
 65 In quo laude stetit summa dignissimus, omni
 Excubias agitans nocte dieque vigil.
 Nam mirantur opes, vanos sectantur honores,
 Ac praebent madido libera colla patri,
 Qui sibi, non Christo, vivunt, quos nulla fatigat
 70 Cura gregis, Domino stetne cadatve suo.
 His vero vitiis noster Schnabelius unquam
 Turpiter haud voluit subdere colla sua
 Sed semper tractans verbi victricia tela,
 Militiae Christi sancta brabea tulit.
 75 Quae si nosse iuvat, paucis advertito, Lector,
 Ordine narrabit nostra Thaleia tibi.
 Curarum quascunque trahit respublica secum,
 Examen laetus ducere sustinuit.
 Ast quascunque parit curas spes anxia nummi,
 80 Has nunquam voluit corde fovere suo.
 Pauperibus sua distribuit bona divite cornu,
 Nec quenquam vacua est passus abire manu.
 Ad mensas quoties venit conviva vocatus,
 Crede mihi, semper sobria pocla bibit.
 85 Fratribus inculcans madidis qui pocula siccant,
 Quanta mala ebrietas pernicioosa ferat.
 Ipsum nec potuit turgentem reddere fastus,
 Pastoris fidi sive movere statu.
 Sed quoties ovium conspexit vulnera, palmas
 90 Ipsi sanantes addere cura fuit.
 Non aliter quam se submittit mater in omnes
 Filioli sordes officiosa sui.
 Defessus vero senii curvamine, tandem
 Ad superos animam iussit abire suam,
 95 Cum bene pavisset triginta quinque per annos
 Hic apud Alsfeldam pastor ovile Dei.
 Ergo quo constet, per quem sit tradita nobis,
 E tenebrisque malis lux patefacta Dei,
 Huius depositoque pii Doctoris in annos
 100 Perpetuos uti postera secla queant,
 Iussit me pietas nec non reverentia grata,
 Hos numeros querula concinuisse chely,
 Hacque brevi tabula constructi busta sepulchri
 Cognita lectori reddere Palladio.
 105 Quisquis ad haec igitur venies loca, Lector amice,
 Has offer, mecum Vota precesque Deo.
 Summe pater, qui templa tenes altissima coeli,
 Et tamen in terris inferiora regis:
 Avolat a nobis Doctorum turba piorum,
 110 Grexque tuus passim tristia signa videt.
 Unde subit mentes gravis admiratio nostras,
 Horremusque irae tela futura tuae:
 Ne tua Cimmeriis iterum praecepta tenebris
 Involvat mendax spiritus ille Satan,
 115 Nil nisi labruscas tua quod fert vinea, magno
 In multos a te culta labore dies.
 Sed tuus acceptus Natus tibi mitiget iram.
 Ad te quo freti fundimus hasce preces,
 Ut resipiscentes tua coelica iussa sequamur,
 120 Et simus regni pars quotancunque tui.